

Quo Anno illustre Martyrium ii consummarint fame perempti, non constat. Fortassis in persecutione Diocletiani. Henschenio, viro ejusmodi rerum peritissimo, veri videtur simile, narrationis illius. Auctorem fuisse Eusebium Cæsariensem in Opere de Martyribus, ejus hæc sunt verba: *Hæc erat illorum exultatio: hæc laus illis proposita, AD PARADISI VOLUPTATEM PERCIPIENDAM*, eos maxime urgebat. Post hæc, quum tempus præsto esset, quo illorum Animæ ad propria Loca, & suum Deum properarent, Martyres ipsi, multis hymnis & laudibus Deo pronuntiatæ, purissimas, ut decebat, Animas Deo tradiderunt. Memineris heic, Burnetum objecisse nobis, irrito tamen successu, ut vidimus, Ignatium & Polycarpum; appellantes *ἑῶν οἰκίον* Locum Proprium, aut *τοῦ αὐτοῦ ὀφειδόμενον* Locum Eis Debitum, quæ Martyrum Animæ Corpore deposito deseriebantur. Et hæc Scriptor *ὁσείως τόνος* appellat, idest *Propria Loca*. Sed ubinam hæc Loca? In *Paradisi voluptate*, & gaudio, & apud Deum suum, ad quem Martyres vitam dando properabant. Ita in Actis S. Procopii Martyris, qui circiter Ann. Christi ccciv. in persecutione Maximiani caput licetori obtulit, editis a Valefio in Notis ad Eusebii Hist. Eccl. Gloriosus ille Martyr capite amputato *INGRESSUM VITÆ COELESTIS* per compendium Beatus invenit. In Actis pariter S. Philippi Episcopi Heracleæ, qui pro Christi nomine sanguinem fudit cum aliis Martyribus circiter Ann. Christi ccciv. a Mabillonio in Tom. IV. Analector. evulgatis, Severus Presbyter Deum hisce verbis precabatur: *Da mihi partem Coronæ, ut sim cum illis junctus in Gloria, quibus eram junctus in carcere. Habeam cum illis Requiem, eum quibus nomen tuum venerabile confessus, tormenta Judicis sæva non timui.* Subdit postea Actorum Scriptor: *Sic beati Martyres testimonium vitæ implere. Felices Christi discipuli, ejus sequuti vestigia, per quem fuit illis concessa victoria: comitati etiam doctrinam Apostolorum, & eorum Martyrum, qui Apostolos sunt sequuti, quorum jam exuta a labe terrena ANIMÆ AD COELESTIA REGNA PROPERARUNT.* Sunt & alia vetustissima ac sincera Martyrum Acta apud Bollandistas, Surium, & Ruinartum, e quibus eadem veritas colligitur; sed missa facio, ne pro eruditione tædium Lectori ministrem. E paucis tamen, quæ attuli, jam satis didicisse nos puto, non eam fuisse olim in Ecclesia doctrinam, quam venditavit nuper Burnetus, immo adversus illam conspirasse fere omnes Christi Fideles.

## C A P U T XI.

Methodii Eusebii Cæsariensis, Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis, Constantini Magni, Alexandri & Athanasii Præsulum Alexandrinorum, aliorumque testimonia pro Beatitudine Sanctorum. Hilarii Pictaviensis Episcopi proposita hæc de re sententia.

At tamen Burnetus suppetias iterum opinioni suæ petit ab aliis sæculi IV. v. & posteriorum quoque temporum Patribus, puta Chrysofomo, Theodoro, Oecumenio, Theophylacto, Euthymio. E Latinis etiam